



JOSEPHO, Sponso MARIÆ
Virginis, JESU CHRISTI

Nutritio.

Sacramentum Ordinis, ejus
finis & scopus est, Euchari-
stiam rite administrare, nul-
li rectius inscribere potui;
quàm tibi Viro, ut loquitur Ruffi-
nus, per omnia incomparabili, tibi
inquam, ô beatissime JOSEPH, qui
teste Bern. *Serm. 2.* super missus pa-
nem vivum è cœlo (panem Eucha-
risticum) servandum accepisti: fa-
ctus Ecclesiæ Dei Oeconomus, cui
panem vitæ & frumentum Electro-
rum conservasti. Quis obsecro, quis
dignè eloquatur, quâ reverentiâ, quâ
pietate, quo amoris excessu sacra-
tissimum pignus, tuæ fidei concre-

ditum, JESUM, Dei & MARIE Fi-
 lium, brachiis suis exceperis, quàm
 dulcia ori ejus oscula fixeris, quàm
 sollicitâ curâ eundem nutriveris:
 verè fidelis Servus, & prudens,
 quem constituit Dominus suæ Ma-
 tris solatium, suæ carnis Nutritium.
 O quoties, ut loquar verbis S. Isola-
 ni p. 3. c. 1. Maximus JESUS in gre-
 mio JOSEPH quievit! Ejus collum
 sacris suis tenens brachiis, pectori
 illius ac humeris hærebat. Quievit
 in JOSEPH corporaliter, &c. quie-
 vit fiducia, quievit lætitiâ, &c.

*Deque viri collo, ut canit Poëta Fa-
 stor. 2. dulce pependit onus.*

O si omnes Ecclesiæ Ministri pari
 tecum fervore, pietate & amore,
 cœleste hoc pignus, JESUM specie-
 bus Eucharisticis occultatum pro-
 sequerentur, suis quotidie manibus
 devotè exciperent, reverenter tra-
 ctarent,

etarent, & optatam in cordis gre-
 mio quietem indulgerent! Fuerunt
 sane ô Vir sanctissime, tua erga
 Christum devotissima obsequia,
 eorum Ministeriorum, ad quæ mo-
 dô Ecclesiæ Ministri per sacros Or-
 dines deputantur, tacita præludia;
 ut proinde non secus ac vernans &
 liliis, rosis, aliisve floribus dives hor-
 tus apes exspectat: ita tu pietate,
 amore, reverentia, cultu, devotio-
 ne, in puerulum JESUM amorem
 tuum, veluti amcenâ quadam sua-
 veolentium florum varietate cu-
 mulatè locuples, apes, hoc est, Ca-
 stos Ecclesiæ Ministros præstolaris,
 qui dulcissima debitæ pietatis, de-
 votionis, & observantiæ, erga JE-
 SUM Eucharisticum, mella ex te
 colligant. Tuis igitur pedibus, ô
 sanctissime JOSEPH, charissime
 mihi semper Patrone, cujus amor à

(o)

à primis annis arētè hæsit pectori
meo, exiguum hunc laborem, sum-
mæ Excellentiæ tuæ minimè pa-
rem, humillime advolvo, ut te pro-
pitio, te favente parvus hic labor,
quem *magnum JOSEPHI nomen ob-*
umbrat, magna pariter amorem,
reverentiam, & cultum erga JE-
SUM Eucharisticum, omnibus Ec-
clesiæ Ministris conciliet; donec
tandem dulcem JESUM, non jam
in Mysteriis, sed facie ad faciem
unâ tecum in beata cœlitum æter-
nitate visuri sumus, ita unicè vovet
& optat

Tuo Nomini devotissimus

C. B. S. J.

PRÆ-